

Altero-
co. Nam
mensura
dus est
mensura
cratio.

« Retribue servo tuo, et vivam, » et Rupertus lib. III, cap. xxxii, hic flammeus gladius est ignis Purgatorii, quem ante paradysum coelestem morientibus, necunt in hac vita plane purgatis, posuit Deus; indeque Cherubim, id est angeli, animas plane purgatas in paradysum, puta in coelum educunt. Imo S. Ambrosius, Origenes, Lactantius, Basilius, Rupertus ex hoc loco putant ante coelum positum esse ignem, quem omnes anime, etiam S. Petri et S. Pauli, post mortem transire debeant, ut eo examinentur, et si impure reperiantur, ut per eum purgantur, de quo dixi I *Corinth.* III, 13.

Moraliter nota: Sex poenae indictae sunt Adae (cum Eva) et posteris ejus, quae congrue respondent sex ejus peccatis: *primum* ejus peccatum fuit inobedientia: ob hoc sensit carnis et sensus rebellionem; *secundum* fuit gula: ob hoc punitus fuit labore et fatigatione. « In sudore, inquit, vultus tui vesceris panem tuo; » *tertium* fuit furtum pomi: ob hoc punitus fuit carnis dolore, puta fame, siti, frigore, calore, morbis, etc. « Multiplicabo, ait, verumnas tuas; » *quartum* fuit infir-

delitas, qua discredidit Deo, et credidit demoni: ob hoc punitus fuit morte, qua anima discedit et separatur a corpore; *quintum* fuit ingratitude: ob hoc privari meruit sua substantia, quam a Deo acceperat, et incinerari. « Pulvis, ait, es, et in pulverem reverteris; » *sextum* fuit superbia: per hanc meruit privari paradysum, coelo et oculibus, atque detrudi in tartara.

Ex dietis patet peccatum Adae, si primam et propriam speciem peccati spectes, non fuisse omnium gravissimum: fuit enim inobedientia legis positive Dei, hac autem gravior est blasphemia, odium Dei; obstinata impenitentia, etc. Quare gravius peccarunt Arius, Lutherus, Judas et alii, quam Adam. Si tamen damna ex hoc peccato consecuta spectes, fuit Adae peccatum omnium gravissimum: per hoc enim ipse se et omnes suos posteros perdidit, adeoque quicumque damnantur, propter hoc peccatum vel immediate, vel mediate damnantur; et hac ratione hoc peccatum dici potest irremissibile; quia in omnes posteros ejus culpa et poena transit, nec id remitti aut impediri ullo modo potest.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Adam genuit Cain et Abel. Secundo, vers. 8, Cain occidit Abel, adeoque a Deo maledicitur, sitque profugus. Tertio, vers. 17, recensetur progenies Cain. Quarto, vers. 25, Adam genuit Seth, et Seth Enos.

1. Adam vero cognovit uxorem suam Hevam: quae concepit et peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum. 2. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola. 3. Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. 5. Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. 6. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es, et cur concidit facies tua? 7. Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. 8. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum. 9. Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Num custos fratris mei sum ego? 10. Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 11. Nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. 12. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus et profugus eris super terram. 13. Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. 14. Ecce ejicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me. 15. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. 16. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orientem.

talem plagam Eden. 17. Cognovit autem Cain uxorem suam, quae concepit et peperit Henoch: et edificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch. 18. Porro Henoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. 19. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella. 20. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. 21. Et nomen fratris ejus Jubal: ipse fuit pater canentium cithara et organo. 22. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera aëris et ferri. Soror vero Tubalcain, Noema. 23. Dixitque Lamech uxoris suis Adae et Sellae: Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnibus meis, et adolescentulum in livorem meum. 24. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies. 25. Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam: et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. 26. Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste cepit invocare nomen Domini.

Vers. 1. 4. COGNOVIT. — Hoc verbo Scriptura honeste significat copulam carnalem; quia enim Hebraei virginem vocant *אילנה* *alma*, id est absconditam et incognitam viro, hinc eam corrumpere, vocant eam cognoscere, vel revelare ejus turpitudinem, ut patet *Levit.* XVIII.

Aliqui Rabini, cum nostris hereticis, putant Adamum in paradiso cognovisse Evam. Sed ex hoc loco communiter Patres docent contrarium, scilicet Adam et Evam in paradiso mansisse virgines. Hic enim post ejectionem e paradiso prima copula eorum fit mentio: « Nuptiae, ait S. Hieronymus, lib. IV *Contra Jovinianum*, terram replent, virginitas paradysum. » Videtur ergo haec prima extra paradysum fuisse Adae et Evae generatio, ac consequenter Cain fuit eorum primogenitus. Id enim insinuat vox Evae, eum parientis: « Possedi hominem per Deum, » *q. d.* Jam primum peperit filium, factaque sum mater hominis.

Probabiliter censet Tornielius in *Annal.* Cain genitum esse mox post expulsionem Adae et Evae e paradiso, scilicet primo anno mundi et Adae, tum quia Adam et Eva creati sunt in statura perfecta et habili ad generandum; tum quia post peccatum mox acres libidinis et copulae stimulos senserunt; tum quia ipsi erant soli in mundo, et per eos Deus volebat statim propagari et multiplicari toto orbe genus humanum. Unde sequitur Cain occidisse Abel anno aetatis 139, scilicet paulo ante ortum Seth. Seth enim illo anno natus est, ut patet cap. V, vers. 3. Quocirca improbabile est quod censent aliqui, Adamum et Evam lugentes suum peccatum et lapsum, per centum annos abstinuisse usu conjugii, centesimo vero anno copulatos genuisse Cain, et mox Abel: unde Cain anno trigesimo aetatis occidisse Abel, adeoque mox loco Abelis Adamum genuisse Seth, anno mundi 130, ut videtur cap. V, vers. 3. Hoc, inquam, est improbabile: sciebat enim Adam se esse constitutum a Deo, ut esset seminator et propagator generis humani; sciebat in-

super se a Deo damnatum ad mortem, brevique moriturum, sciebat incertam esse diem mortis suae. Quis ergo credat eum centum annis generatione et propagatione sui generis abstinuisse, cum nesciret an centum annis esset victurus? Aequè improbabilis et fabulosa est visio, quam S. Methodio Martyri falso attribuit Petrus Comestor in *Scholast. Hist. Genes.* cap. XXV. Quod scilicet Adam et Eva, anno aetatis, aequae ac mundi decimo quinto, genuerint Cain, et sororem ejus Calmanam; anno vero trigesimo genuerint Abelem, et sororem ejus Delboram; anno vero 130 Cain occiderit Abel, quem parentes ejus planxerint centum annis, et post plangentium genuerint Seth, anno aetatis et mundi 230, ut habent Septuaginta. Nam praeter jam dicta, est hic in numeris apud Septuaginta manifestus error, et pro 200 legendum 130, ut habent Hebraea, Chaldaica, Latina.

PEPERIT CAIN DICENS: POSSEDI HOMINEM. — Cain hebraice idem est quod possessio, a radice *קָנָה* *kana*, id est *possedi*. Arabicus vertit, *lucrata sum per Deum virum*. Ludit ergo Goropius Becanus, qui nomen Cain a lingua Flandrica accersit, quasi Cain idem sit quod *quaelet egide*, id est, *malus finis vel exitus*. Itaque Cain hebraice idem est quod possessio; est enim filius quasi parentum possessio et suppellex: unde jure naturae est patris in filium potestas; hinc patres vocantur domini *Math.* XI, vers. 25; *Eccl.* XXIII, 1. Hinc factum est ut Persae (teste Aristotele in *Polit.*) liberis uterentur quasi servis. Hinc etiam Selavi (teste Accursio) filios arbitrio suo vendebant et occidebant. Dicit ergo Eva: « Possedi hominem, » sed « per Deum, » *q. d.* Natus est mihi filius, quasi possessio mea; sed idem potius est Domini possessio, et hereditas mihi a Deo donata. Ita S. Chrysostomus: « Non (inquit Eva) natura mihi puerum dedit, sed divina gratia. » Sic Jacob ad Esau: « Parvuli, inquit, sunt quos donavit mihi Deus, » *Gen.* XXXV, 5. Discant hic parentes proles esse dona Dei.

Proles
sunt dona
Dei.

odio, invidia in fratrem confabescis, eaque vultus tristitia et dejectione prodit? cur lividis et dejectis in terram oculis paricidium incipis meditari? ita Rupertus. Unde Arabicus vertit, contristatus est vultus ejus.

Ver. 7. 7. NONNE SI BENE EGERIS, RECIPIES? — tum quietem et gaudium conscientiae, tum favorem meum, utque simili signo, puta igne de caelo misso, attester te tuaque sacrificia mihi placere, sicuti testatus sum Abeli, quod te nunc ita cruciat; tum denique bona praesentia et aeterna recipies: haec enim omnia virtutis sunt merces.

Pro recipies hebraice est *תָּרַחַם*, quod significat ferre, elevare, portare, recipere, rursus remittere. Unde Chaldaeus vertit, demittetur tibi, scilicet invidia et impietas tua; Septuaginta vertunt, nonne si recte offeras, non recte autem divides, peccasti? quiesce. Quod S. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, sic exponunt: Quia in recta, inquit, divisione prima secundis, celestia terrenis preferenda sunt; Cain autem primas sibi, secundas dabat Deo, ideoque non recte cum Deo divisit. Tertio, alii sic vertunt, nonne si bene egeris, attolles? subaudi vultum, q. d. Nonne incedes recto vultu, vivesque in gaudio et letitia? unde et Vatablus vertit, nonne si bene egeris, exaltatio erit tibi? q. d. Tu videris dolere quod frater tuus sit clarus, et erectus supra te; at si studeris bene facere, attolleris ut ille; sin autem male egeris, statim in foribus peccatum aderit (1).

PECCATUM. — id est pena peccati, quae quasi canis aut Cerberus cubans (hoc enim est hebraicum *רובץ* *robets*) fores peccati obsidet, tanquam peccati vindex; hic, mox ut male egeris, tibi aderit, tibi allatrabit, te mordebit et lacinabit. Canis hic est vermis conscientiae, mentis turbatio et indignatio, ira Dei capiti peccatoris imminens, tribulatio, angustia omnesque aerumae praesentes et aeternae, quibus Deus peccata punit. Unde Chaldaeus vertit: In diem iudicii peccatum tuum servatum est, in qua ulciscetur de te.

Nota prosopopeiam. Peccatum hic inducitur quasi tyrannus, qui cum suis assellis tam licetioribus, quam molossis peccantem assidue insequitur. Nam, ut Poeta ait:

Noxa caput sequitur;

et Horatius, lib. III *Carminum*, ode 3:

Raro antecedentem scelerum
Deseruit pede penna claudo.

Ut enim alia taceam, magna pena est

Nocturne diem suum gestare in pectore testem,
Occulente quietis animo tortore flagellum.

Conscientia ergo sceleris, ipsa sui vindex, tor-

(1) Ita et Rosenmullerus, cui *תָּרַחַם* est elevatio, scilicet faciei tuae esset tibi.

tor et carnifex est, uti pulchre docet S. Chrysostomus, conc. 1 *De Lazaro*. Et S. Augustinus in *Sententiis*, Sentent. 191: «Nulla, ait, poena saeviores sunt quam male conscientiae, in qua non habetur Deus, consolatio non invenitur. Et ideo invocandus est liberator, ut quem tribulatio exeruit ad confessionem, confessio perducat ad veniam.» Ita Alexander Macedo cum Clitum sibi carissimum ac fidelissimum temulentus occidisset, mox conscientia sceleris furens, sibi mortem inferre voluit, sed a suis fuit prohibitus, teste Seneca *epist.* 83. Ita Nero Caesar, auctore Dione, matre trucidata, aiebat se specie materna exagitari verberibus furiarum, ledisque ardentibus, nulloque loco tutum posse consistere. E contrario, «nullum theatrum virtuti conscientia majus est,» ait Cicero, *Tuscul.* II, et Horatius in *Odis*:

Integer vite scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenalis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.

Nimirum, «secura mens quasi iuge convivium.» Ita S. Augustinus *Contra Secundinum* cap. 1: «Senti, inquit, de Augustino quodlibet: sola me conscientia in oculis Dei non accuset.»

SED SUB TE ERIT APPETITUS EJUS, ET TU DOMINABERIS ILLIUS. — Calvinus, ne cogatur ex hoc loco admittere liberum arbitrium dominans peccato et concupiscentiae, censet pronomen ejus referre Abelem, non peccatum, sensumque esse, q. d. Ne, o Cain, invidias Abeli juniori fratri tuo; nam ipse in tua potestate permanebit, et tu ei tanquam primogenitus dominaberis. Favel huic expositioni unus S. Chrysostomus, *homilia* 18. Verum nulla Abelis hic facta est mentio, ac proinde pronomen ejus Abelem referre nequit, ut docet S. Ambrosius, lib. II *De Cain et Abel*, cap. VII; et S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* VII. Unde Arabicus clare vertit, in electione tua appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Electio enim est actus proprius liberi arbitrii, per quem dominatur suis actionibus.

Dices: Pronomen ejus in Hebraeo est masculinum; *חַטָּאת* *chattat* autem; id est peccatum, est femininum: ergo vox ejus nequit referre peccatum, sed Abelem respicit.

Respondeo, Hebraeam *chattat* non solum esse femininum, sed masculinum; .I. patet hic cum ait *רוּבֵץ הַחַטָּאת* *chattat robets*, peccatum cubans apud te, tibi aderit: si enim esset femininum, dicere debuisset *רוּבֵצָה* *robetsa*. Idem patet *Levit.* IV, 24, *חַטָּאת הַחַיִּי* *chattat hu*, peccatum est ipse, non *הוּא* *hu*, id est ipsa.

Dices secundo, Hebraice est *אֵלֶּךָ הַשְׂוֹקֶה* *elecha tesukato*, id est, ut vertunt Septuaginta, ad te conversio ejus.

Respondeo, sensus hujus phrasid est: peccatum, ejusque appetitus et concupiscentia, te sol-

licitabit ad sibi consentiendum, sed ita, ut ad te converti, et a te sensum petere et impetrare debeat; quod Noster quoad sensum clare vertit, sub te erit appetitus ejus. Pari enim modo Eva dixit cap. III, vers. 16. *אֵל אִשְׁךָ הַשְׂוֹקֶה* *el ischech tesukatesch*, ad virum erit conversio tua, quod noster quoad sensum clare vertit, sub viri potestate eris. Unde tibi, aequae ut hic, sequitur, et ipse dominabitur tui.

Dico ergo vocem ejus referre peccatum, non Abelem, sensumque esse, q. d. Potes, o Cain, per arbitrii libertatem et gratiam meam tibi preparatam, tua concupiscentiae et appetitui invidentiae, tanquam mancipio dominari. Quid clarius pro arbitrii libertate dici potuit? Unde Targum Hierosolymitanum ita vertit, in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiae tuae, et tu dominare ei, sive ad bonum, sive ad malum. Ita exponunt S. Ambrosius et S. Augustinus supra, S. Hieronymus, Rabanus, Rupertus, Hugo, Beda, Alcuinus et Eucherius hic; quin et S. Chrysostomus *hom.* 18 citata, aperte docet Cainum potuisse dominari suae concupiscentiae. Vide Cardinalem Bellarminum, docte aequae ac solide hunc locum, ut et alios omnes, pertractantem (1).

ET TU DOMINABERIS ILLIUS. — Tu illi dominari potes, ideoque debes: si enim non posses, nec deberes. Deus enim homini non praecipit impossibilia.

Nota hic quantum sit dominium voluntatis, non tantum in motus et actiones externas, sed etiam in appetitus et passiones internas. Sentias licet estus cholerae aut libidinis maximos, voluntate tua forti et constanti illi renitere, dicitoque: Nolo iis consentire, illi mihi displicent, eos detestor; et dominaberis cholerae ac libidini, erisque coram Deo et hominibus, non cholericus, sed mansuetus cholerae domitor; non incestus, sed castus libidinis victor. Tanta est vis et imperium voluntatis. «Magna, inquit S. Chrysostomus *serm. De Zachaeo*, vis est voluntatis, quae nos efficit posse quod volumus, et non posse quod nolimus.» Vidit hoc Seneca qui, ad iram domandam, hoc inter caetera dat remedium lib. II *De Ira*, cap. XII: «Nihil, ait, est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio; nullique sunt tam feri et sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit; quidem, ne unquam riderent, consecuti sunt; vincto quidam, alii venere, quidam omni humore interdixere corporibus.»

Solertius ergo et vere sanctus quidam doctor dixit: «Quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id es certissime.» Vis toto

(1) Alii: Et ad te appetitus ejus, scilicet peccati; sed tu dominaberis ei, hoc est, resistere ei debes. Peccatum tanquam mulier impudica sinitur, quae hominem ad libidinem suam explendam tentat, cui igitur resistere debeat.

corde et efficaciter esse humilis? hoc ipso reipsa es humilis; vis efficaciter esse patiens, obediens, constans? hoc ipso reipsa es patiens, obediens, constans. Quare prudenter suadet: «Si magna, ait, dare aut facere non potes, magnam saltem habeto voluntatem, eamque ad immensa extendere,» v. g. pauper es, habeto voluntatem efficacem dandi largissimas elemosynas, si facultates supplerent, et vero eris largissimus et liberalissimus; parva habes talenta, parvas vires Dei gloriam et salutem animarum promovendi: concipe efficacem desiderium, et ex toto corde offer Deo mille animas, mille vitas, mille corpora, si ea haberes; offer ingens desiderium laborandi et patienti ardua quaeque ad ejus amorem et plurimorum salutem; atque Deus voluntatem tuam pro facto computabit: voluntas enim seria et resoluta omnis virtutis et vitii, omnis meriti et demeriti fons est et causa.

Ita S. Christina virgo et martyr, patris sui Urbani, Tyri Italiae oppidi praefecti, idola argentea coufringens, blandimenta illius voluntate firma desepxit, minas irrisit; non flagellis, non unguulis dilaniata constantiam mutavit; quinimo lacerae carnis frustum in patrem projiciens ait: «Satiare carnibus, miser, quas genuisti: filiam comedere potes, at certe ut impietati tuae consentiat, facere non potes.» Hinc rotis alligatur, et subdito igne uritur, in lacumque dejicitur; mox defuncto patre, a Dione ejus successore in oleo, resina et pice coquitur: inde ad Apollinis statuam adorandam ducta, eam sua precatione subvertit. Dioni subito mortuo surrogatur Julianus, qui Christianam in fornacem ardentem mitti jussit, sed missa noxam non sensit; serpentibus mordendam objecit, sed serpentes, illa dimissa, veneficum invaserunt: interemptum ipsa suscitavit. Julianus illi mammillas agputari jubet, linguam martyri consumpta in oelum evolavit. Ecce quam voluntas resoluta dominetur affectibus, tormentis, tyrannis et mori: haec Christina patrem, Abel fratrem superavit, non pugnando, sed patiendo. Ita habet ejus Vita, quam edidit Surius, tom. IV, 24 Julii.

8. EGREDIAMUR FORAS. — Haec verba exciderunt ex textu Hebraeo: unde ea non leguntur, nec vertuntur Aquila, Symmachus et Theodotus. Olim tamen ea fuisse in Hebraeo, patet, quia ea leguntur Septuaginta et Targum Hierosolymitanum. Unde eadem se reperisse in Samaritanorum Pentateuco fatetur S. Hieronymus. Denique nisi illa legas, mutilus erit hic locus: non enim exprimit quid dixerit Cain. Rursus haec verba dixisse Cain, potius quam alia, patet ex eo quod secutum est: nam mox egressus Abel cum Cain in agrum, ab eo occisus est (2).

(2) Alii alia hunc locum explicandi tentamina fecere. J. D. Michaelis pro *וַיֵּאבֶר* legendum putat *וַיֵּבֶר*, a rad.

CONSERVIT CAIN ADVERSUS FRATREM. — Docet Targum Hierosolymitanum Cain in agro cepisse queri de Dei providentia et aqulitate, disputasse contra iudicium extremum, contra mercedem honorum et vindictam malorum. E contrario Abelem hæc asseruisse, Deum defendisse, fratrem reprehendisse, ideoque ab eo casum esse. Quam ergo immane fuit parricidium Cain, tam illustre fuit martyrium Abel. Quocirca S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 6, exhortans Tiberianos ad martyrium: « Imitemur, ait, fratres dilectissimi, Abel iustum, qui initiavit martyria, dum propter iustitiam primus occiditur. »

Horatio Coclitii objiciebant æmuli claudicationem: quibus ille: « Per singulos gradus moneor triumphis mei; » ipse enim Porsenne regi per subdolum pontem transire conanti restitit, solusque hostium impetum sustinuit, donec a tergo pons a sociis frangeretur, ibique in coxa læsus claudicare cepit, teste Livio, lib. II, *decad.* 1. Idem Caino parricide dicere poterat, et potest etiamnum Abel.

Probabiliter putant aliqui Abel occisum esse sub annum mundi 130, ex eo quod hoc anno 130, natus sit Seth, quem mater Eva crebro (quotannis, ait Augustus Tornielius) parere solita, Abeli occiso mox substituit; ita Pererius, Cajetanus et Tornielius in suis *Annalibus*, quos ad instar Baronii, ab Adamo ad Christum per singulos annos seriatiim et ordine digessit et descripsit.

Allegorice, Abel fuit typus Christi a Judæis suis occisi. Ita ex S. Ireneo et Augustino Rupertus.

Vers. 9. 9. NESCIO: NON CUSTOS (Arabicus, *speculator*) FRATRIS MEI SUM EGO? — Ambrosius, lib. II *De Cain*, cap. IX, notat hic tria ejus crimina. « Negat, inquit, primum, quasi apud ignorantem; recusat fraternæ munus custodiæ, quasi exors nature; declinat iudicem, quasi liber arbitrii. Quid miraris, si pietatem non agnovit, qui non agnovit auctorem? »

Vers. 10. 10. VOX SANGUINIS. — Hebraice est *vox sanguinum*, quod perperam Chaldaeus cum Rabbiniis refert ad filios, quos habiturus erat Abel, si non fuisset necatus, quia omnium tantum sanguinis effudit Cain, quantum per propagationem filiorum, quos generaturus erat Abel, sufficere multis poterat: clamabant ergo vocibus innumeris, qui sanguinis futuri erant participes. Patet enim hæc non ad posteros, sed ad sanguinem Abelis

כור amarus fuit, ut sensus sit, *attamen Cain in fratrem amaro animo fuit*. Dathius significationem verbi **כור** apud Arabes obviam h. l. adhibet, quæ est, *durus loqui cum aliquo*. De Rossi recte observat verbum **כור** significare interitum *cum aliquo loqui* (cf. *Ezod.* xix, 23), qui subjiciatur quid dictum fuerit. Sensus ita esset: Jamdudum Cainus eo verbum fratri fecerat; jam simulans se omnem deposuisse rancorem, et alloquium cum eo instituens, incastum adortus occidit.

a Cain effusum, pertinere. Hebraice autem est *vox sanguinum*, pro *sanguinis*, quia Hebræi homicidium ad emphasisim (ad horrorem incutiendum) vocant effusionem sanguinum, id est sanguinis: quia revera in homicidio multus sanguis hominis effunditur.

Pulchre S. Ambrosius, lib. II *De Cain*, cap. IX: « Non accusat, ait, vox ipsius (Abelis) non anima ejus, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudit: tuum te ergo facinus, non frater accusat. Est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinem. Si frater parit, a terra non parit: si frater facit, terra condemnat. Ipsa est in te, et testis et iudex. Non est ergo dubium quod eum et superiora (cæli, sol, luna, stelle, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Cherubim et Seraphim) damnaverint, quem inferiora damnarunt. Nam quomodo absolvitur pæra illa celestique sententia, quem nec terre poterunt absolvere? »

Abel similis fuit S. Wenceslaus, rex Boemiæ et martyr, occisus a fratre Boleslao quasi altero Caino, instigante matre Drahomira. Wenceslaus enim pius et innocens quasi Abel regnum plus juvenio, orationibus, cilicio, ac aliis piis operibus rexit, quam imperio, illud plane occidens: « Septies in die laudem dixi tibi super iudicia justitiæ tuæ. » Divinitus ergo præsciis mortem sibi a fratre ad epulum invitante per dolium parari, non subterfugit, sed S. Sacramentis se præmunies fratris domum adiit; ac post fratrum et hospitalem mensam, proxima nocte ante templum orans cæsus est: factusque gratissima Deo hostia, sanguine ejus aspersus est templi paries, quem frustra cæsores alidere et detergere conati sunt: quanto enim crebrius detergebatur, tanto vivacior magisque eruentus aspicietur; mansit itaque ibidem indeletus, in testimonium tanti parricidii instar Abelis clamans in cælum. Quocirca omnes tanti sceleris administri misere perierunt: Drahomiram matrem in arce Pragensi vivam terra absorpsit. Boleslaus quasi alter Cain prodigiis et terroribus agitatus, et ab Othone imperatore in ultionem parricidii bello appellus, morbo tandem absumptus, principatu et vita privatus est. Alii per demones exagitati, umbram suam metuentes, sese in flumina præcipites dederunt. Alii mente capti fugam inierunt, et nusquam amplius comparuerunt. Alii variis et gravibus morbisicti, hominibus exosi, vitam miserabiliter finierunt. Ita habet ejus Vita et Annales Boemiæ, atque ex his Aneas Sylvius in *Hist. Boemiæ*.

CLAMAT AD ME (1), — *q. d.* Reatus homicidii, imo parricidii tui, ita voluntarii, in conspectu meo comparet, atque a me celerem et atrocem

(1) Plurale עניניו non ad קול, sed ad דמי refertur, observantque Hebræorum grammatici, ubi duo nomina substantiva conjunguntur, verbum vel adjectivum sequens haud raro cum posteriore, non cum priore convenire. Cf. *Ezod.* xix, 5.

Quatuor peccata in cœlum clamantia.

vindictam exposcit. Est proseroposia. Ita S. Hieronymus in *Ezechiel.* cap. xxvii. Sunt ergo hæc atrocita peccata, phrasi Scripturæ in cælum clamantia: primo, parricidium, quale fuit Caini; secundo, peccatum Sodomorum, *Genes.* xix, 13; tertio, merces operariorum defraudata, *Jacob.* v, 4; quarto, oppressio viduarum, pupillorum et pauperum, *Ezodi.* n, 23. Vide hic quomodo Deus occultum homicidium Caini propaleat et puniat. Mira alia homicidii occulti detecti et puniti exempla habet Plutarchus, lib. *De Sera numinis vindicta*.

Hoc factum et dictum apposite Innocentius I Pontifex applicat Arcadio Imperatori, et Eudoxiæ Augustæ, eo quod S. Joannem Chrysostomum in exilium egissent, ibique eum, quasi Caini Abelem, ærumnis confecissent, ideoque in eos excommunicationis fulmen intorquet. Audi epistolam tanto Pontifice dignam, quam ex Gemadiao et Glyca recitat Baronius, anno Domini 407. « Vox sanguinis fratris mei Joannis clamat ad Deum contra te, o Imperator, sicut quondam Abel iusti contra parricidum Cain, et is modis omnibus vindicabitur. Ejecisti e throno suo, re non iudicata, magnum totius orbis doctorem, et una cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita quæror: sortem enim, seu hereditatem cum S. Apostolis in Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi rege consentus est, etc.; sed quod orbis sub sole totus ad orbitalem redactus est, viro tam divino amisso persuasionis unius mulieris, fabulam hanc et spectaculum exhibentibus. » Et mox: « Nova autem Dalila, Eudoxia, quæ paulatim te seductionis novacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi introduxit, grave et quod gestari nequeat, peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens. Itaque ego minimus et peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego et rejicio te et illam a perceptione immaculorum mysteriorum Christi. »

DE TERRA. — Tradunt multi Abel cæsum esse in Damasco, et inde dictam Damascum quasi דם אבם סור, id est *sanguis soccus*, quia scilicet bibit et hausit sanguinem Abelis. Intellege Damascum, non Syriam, ut videtur velle S. Hieronymus: hæc enim aliunde suum nomen et originem traxit, ut dicam cap. xv, vers. 2; sed Damascenorum agrum juxta Hebron, rubra terra confertum (quæ hebraice hic vocatur *Adama*), ubi creatus et vixisse putatur Adam. Ita Burchardus, Adrichomius et alii in *Descriptione terre sanctæ* et Abulensis in cap. xiii, *Quest.* CXXXVIII.

11. MALEDICTUS EIS SUPER TERRAM. — Tum quia terra tibi erit maledicta, et maligne parceque tibi eam colent suos dabit fructus: ut sit hypallage. Hebræa habent, *maledictus tu de terra, q. d.* Polluisti terram sanguine fratris tui, ideo et per terram sterilitate punieris (1). Hinc et sequitur:

(1) De terra, id est, exul et terra ista, quæ aperuit os suum, etc.

« Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. » Tum quia tu infastus, infelix, vagus et profugus eris super terram, ut sequitur. Ergo delicti, æque ac blasphemii fuerunt Caiani hæretici, qui Cain coluerunt, delictantes Abel fructus ex debilliori virtute, ideoque esse occisum: Cain vero fuisse ex fortiori et cælesti virtute, æque ac Esau, Core, Judam et Sodomitas; atque hos omnes esse cognatos suos factabant: Cain enim fuisse patrem Juda. Judam autem venerantur; eo quod ipse tradiderit Christum, præsciens ejus morte homines redemptum iri. Ita Epiphanius, *haresi* 38; S. Augustinus, Philastrius et alii in hæresi Caianorum.

12. NON DABIT TIBI FRUCTUS SUOS. — hebraice **כור** *cocha*, id est virtutem suam. Jam virtus terræ sunt fructus terræ copiosi et vigorosi.

VAGUS ET PROFUGUS, — ex mala conscientia pavidus, et, ut Septuaginta vertunt, *gemens et tremens*, scilicet tum animo, tum corpore, huc illucque vagaberis. Græce enim τὸ ἐπιμανθῆναι, id est *tremens*, referunt ad tremorem corporis in Cain, qui pavoris ejus et consternationis animi fuit index.

13. MAJOR EST INIQUITAS MERA, QUAM UT VENIAM. MEREAR. — Pagninus, Vatablus, Oleaster cum Aben Ezra, **עון עון**, id est iniquitas, peccatum, sumunt pro pæna peccati, itaque vertunt, *major est punitio mea, quam ut feram, vel ferre possim*. Ita et Athanasius ad Antiochum, *Questione* 96. Ubi obiter adverte hæc breviores quæstiones non esse magni illius S. Athanasii Alexandrini: nam in iis citantur S. Epiphanius et Gregorius Nyssenus, qui S. Athanasio fuerunt posteriores; imo auctor earum citat, *Questione* 93; ipsum S. Athanasium, atque ab eo recedit, aliamque sententiam sequitur. Nec tamen auctor earum idem est cum Athanasio Nicæno, qui proluxas quasdam quæstiones in sacram Scripturam conscripsit; licet forte ad eundem Antiochum uterque quæstiones suas scripserit.

Verum communiter Septuaginta, Chaldaeus, Cain de Noster, Patres Græci et Latini proprie accipiunt hic peccatum, putantque Cainum his verbis desperasse. Unde Hebræa sic habent **עוני עוני גדול** *gadol avoni minneso*, id est, *major est iniquitas mea, quam ut eam ferre aut portare possim; secundo, planius et melius cum Septuaginta, Chaldaica et Nostro ita veritas: Major est iniquitas mea, quam ut eam ferre et parere, id est, quam ut ferat et parcat Deus. Hebræum enim נסו נסו, et ferre, et parere significat, quia cum quis alteri parcat, magno eum onere levat; offensam enim ejus condonando fert et portat; offensa enim et peccatum in Deum est onus. Etna ponderosius, peccatorum incumbens. Unde Noster vertit, *quam ut veniam merear*, id est, quam ut illa penitentia veniam possim impetrare, *q. d.* Omnino indignus et incapax sum veniæ.*

Hinc cum Caino graviter errant Novatianii alii-

que, qui censent aliqua peccata ita gravia esse, ut etiam quis poeniteat, Deus tamen illa condonare non possit, aut nolit. Ita S. Ambrosius, lib. I De Penitentia, cap. IX.

Quatuor sunt, inquit Hugo Cardinalis, quae aggravant peccatum, scilicet peccati qualitas, frequentia, diuturnitas, impenitentia; sed his omnibus in immensum major est Dei clementia, Christique meritum et gratia. Audi eum Jeremia III, 4: « Tu fornicata es cum amatoribus nullis; tamen revertere ad me, dicit Dominus. » Audi Ezechielem, cap. XVIII, vers. 21: « Si impius egerit poenitentiam, clo., vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor amplius. »

Vers. 14.

14. ECCE EJICIS ME HODIE A FACIE TERRE. — a patria mea jucundissima et fertilissima, inquit Oleaster et Pererius, adeoque a tota terra, dum nusquam me consistere permittit, sed continuo ab una regione in aliam expellis, facisque exulem et profugum, tum a terra, tum consequenter ab hominibus, q. d. Facis me odium omnium hominum, ut nec ego illos aspicere ausim, nec illi me aspicere dignentur.

Addit Josephus, penes quem sit fides, Cainum peiorem effectum, tandem factum fuisse ducem latronum et nequitie, in Henochia urbe quam coedidit.

A FACIE TUA ABSCONDAR. — quasi reus presentiam judicis Dei fugiam, latibula quaeram. Ita S. Ambrosius et Oleaster; secundo, cura, favore et tutela tua desituar. Ita S. Chrysostomus et Cajetanus. Unde non est necesse cum Delrio hic recurrere ad hypallagiam, q. d. Tu abscondes faciem tuam a me, ne me oculis aequis aspicias. Ait ergo Cain, ut pulchre Lipomannus: Ecce, Domine, abstulisti a me fructus terrae, abstulisti gratiam et tutelam tuam, permittis me mihi, pro venia te convenire non audeo; abscondar a te, subterfugiam ut potero judicium tuum, vagus et instabilis ero ubique, et si tu me non persequeris, quisquis aliorum inveniarit me occidet, meque tueri non potero (1).

Pater Caini et matris Henochianae.

OMNIS IGITUR QUI INVENERIT ME, OCCIDET ME. — Quia ex tremore corporis et furiae mentis agitato, quisque eum me esse intelliget, qui mereatur interfici, ait Hieronymus, epist. 123 ad Damascenum, Quaes. 1, q. d. Sum catharma, sum anathema, sum odium Dei et hominum, non potero evadere, quin ab aliquo occidat. En omen, en pavor male conscientiae. Ita S. Ambrosius. E contrario justus ut leo confidit, dicitque: « Esi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, » Psal. XVII, vers. 4.

(1) Regio, in qua considerat Adamus, reputabatur in conspectu Dei, quod eam potissimum Deus tutabatur, et quem homines alibi nusquam essent, in ea sola tum Adamo, tum ejus familie apparebat, itaque Cainas verberatur ex ea decedere, ibi maxime existimans se tutum esse.

Nota: Cain impenitens timet mortem corporis, non animæ. Ita S. Ambrosius, 43. NEQUAQUAM ITA FIET: SED OMNIS QUI OCCIDIT CAIN, SEPTUPLUM PUNITUR. — Pro septuplum hebraice est שבעתיך scibataim, quod Aquila vertit septemplier; Septuaginta et Theodotion, septem vindictas, q. d. Multipliciter et gravissime punitur is, qui Cain occiderit; quia secundus erit homicida, qui primus malum exemplum Caini secutus est, nec ejus poenitentiam tam gravi, a cæde absterritus est, et qui occidit primum homicidam Cainum, cui Deus vitæ fidem dedit, quemque ad poenam et omnium exemplum vult superesse, cum ipse vitam habeat pro supplicio, mortem pro solatio: ut ei diu vivere non sit aliud, quam diu torqueri.

Hinc apte Burgensis censet plus poenæ hic intentari occisori Caini, quam ipsi Caino, ob causas jam dictas. Negant hoc Lyranus, Abulensis, Carthusianus et Pererius; adeoque negant eos hic inter se comparari; unde ipsi hæc ita disjungunt et distinguunt: « Omnis qui occidit Cain, » subaudi, gravissime punitur, punctum. Deinde subaudi, « septuplum punitur, » scilicet Cain; vel, ut Symmachus vertit, septimus punitur, Cain scilicet, quia in septima generatione, scilicet a Lamech, creditur occisus esse Cain, eoque vite derelictus ad poenam et exemplum. Verum hæc disjunctio inconcinna est, nova et hinc; prior ergo sensus quem dedi, genuinus est. Adde, Hebræum שבעתיך scibataim, non septimum, ut vertit Symmachus, sed septuplum significare (2).

Positurque DOMINUS CAIN SIGNEM. — Quæres quale? Rabbini quidam fabulantur fuisse canem, qui Cainum semper præibat, et per vias tutas deducebat. Alii, fuisse litteram fronti Caini impressam; alii, vultum ferum et truculentum. Verum communior sententia est, signum hoc fuisse tremorem corporis, et mentis ac vultus consternationem, ita ut corpus et vultus peccatum Caini loquerentur. Hunc enim tremorem fuisse in Caino, patet ex Septuaginta; isque decebat Cainum: « nusquam enim pejus, quam in sano corpore, eger animus habitat. »

Nota hic in Caino effectus et poenas peccati. Sex poenæ sunt, tremor corporis; secundus est, exilium et fuga; tertius est, timor et consternatio mentis. « Omnis, inquit, qui invenierit me, occidet me. » Quid times, o Cain? præter te et parentes nullus adhuc homo in mundo est. A gratia Dei per peccatum exciderat; hinc poena et trepidatio: nec sine causa. Nam primum ipse Abel defunctus persequi cepit homicidam: « Vox sanguinis fratris tui, inquit Scriptura, clamat ad me. » Nam « Deus, ait S. Ambrosius, audit suos justos, etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. »

(2) Septuplum supplicium pro multiplici. Cf. Pr. XII, 7; cxvii, 164; Prov. xxv, 16. Dicit itaque Deus, cum qui Cainum occiderit, gravissimas poenas laturum.

Signum Caini fuit tremor corporis.

Sex poenæ sunt, tremor corporis, exilium et fuga, timor et consternatio mentis.

Quarta. Quarto, persequabatur Cainum ipsa terra: « Vox sanguinis clamat ad me de terra, » q. d. Si frater parcat, terra non parcat, ait S. Ambrosius: hæc Caino maledicta negat fructus, hæc eum expellit quasi profugum.

Quinta. Quinto, horrorem Cain injiciebant cælestes, pater et infra cælum posite virtutes; ut enim ait Procopius, præter fulgura et coruscationes horrificas, videbat Cain angelos igneis gladiis sibi mortem minantes: si oculos ad terram demittebat, serpentes veneno, leones unguibus, cæterasque feras suis armis in se irruentes videre sibi videbatur.

Sexta. Sexto, profugus fuit Cain in terra, ac tandem latitans in silvis (si credimus Hebræis) a Lamech occisus est; qua de re dicitur vers. 23. Nonne ergo, ut ait S. Chrysostomus, « peccatum est spontanea insania et voluntarius dæmon? »

Vers. 16. 16. HABITAVIT PROFUGUS IN TERRA. — Hebraice est, habitavit in terra Nod. Ita Septuaginta et Josephus, qui Nod ut proprium accipiunt; Noster tamen accepit ut appellativum; utriusque bene: Nod enim significat vagam, mobilem, fluctuantem, profugum. Hæc ergo terra, in quam primitus fugit Cain, dicta est Nod, non quasi terra quæcumque a Caino pedibus calcata fuisset, fluctuaret et contremisceret, ut Rabbini aliquid finxerunt; sed dicta est terra Nod, quasi dicas, terra profugii, in quam scilicet profugit Cain profugus.

Que terra Nod?

Vers. 17. 17. UXOREM SUAM, — filiam Adami, ac consequenter sororem suam. Initio enim mundi necesse fuit sorores fratribus nubere, inquit S. Chrysostomus, Theodoretus, Procopius, quod alias jure nature velatum est, ita ut in eo Pontifex dispensare non possit.

EDIFICAVIT, — non jam, sed multis (puta 400 aut 500) post annis, inquit Josephus, cum Cain plures jam genuisset filios et filias, nepotes et neptes, qui Henochiam replere possint. Ita S. Augustinus, lib. XV De Civit. cap. vii. Symbolice, idem eodem libro, cap. 1: « Natus est, inquit, prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum civitatem; posterior Abel, ad civitatem Dei. Sic universo genere humano, cum primum duæ istæ coeperunt nascendo atque moriendo procurere civitates, prior est natus civis hujus sæculi; posterior autem iste peregrinus in sæculo, et pertinens ad civitatem Dei, gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum. » Et mox: « Scriptum est itaque de Cain, quod condidit civitatem: Abel autem tanquam peregrinus non condidit. Superna est enim sanctorum civitas, quamvis hic pariat civem, in quibus peregrinatur donec regni ejus tempus adveniat, ubi cum suo principe rege sæculorum sine ullo temporis fine regnabit. »

VOCAVIT EX NOMINE FILII SUI HENOCH — Henochian. Hæc prima in orbe fuit urbs, in qua non dubium habitasse Cainum, ac proinde desisse

jam esse profugum et vagum sub finem vite: tremor tamen corporis ei semper adhesit.

Tropologice S. Gregorius, lib. XVI Moral. cap. VI: Mali in terris, boni in cæcis civitatem delignant: sed vide quam breve sit impiorum sæculum et gaudium: Cain tantum septimam habuit generationem, quæ desinit in Lamech, in quo ejus tota progenies diluvio perit.

19. DUAS UXORES. — Primus polygamus Lamech legem monogamie latam, Genes. II, 24, violavit. Unde Nicolaus Pontifex, scribens ad Lotharium regem pariter polygamum, Lamech vocat adulterum, ut habetur, cap. An. nov. XXIV, Quæst. 3.

Post diluvium, cum vita hominum esset brevior, et unicus supereset Noe cum suis, ne nimis lente propagarentur homines, dispensavit Deus, ut plures liceret habere uxores. Id patet, quia Abraham et Jacob, viri sanctissimi, plures habuerunt. Verum satis propagato jam genere humano, coeperunt cultiores Hebræi, Græci, Romani polygamiam sensim aversari, et tandem Christus omnino eam sustulit, Matth. XIX, 4 (1).

21. PATER, — inventor, auctor; Jubal ergo, filius Lamech, fuit inventor organi (2) et citharæ; unde ab hoc Jubal, qui fuit jubilosus, jucundus et jovialis, putant nonnulli Latinos sumpsisse suum jubilare et jubilum.

22. QUI FUIT MALLEATOR ET FABER IN CUNCTA OPERA ERIS ET FERRI, — qui fuit inventor aris fabricis. Hebræa ad verbum sic habent: Qui fuit ævens, id est, expoliens, omnia opera aris et ferri.

23. QUONIAM OCCIDIT VIRUM ET ADOLESCENTULEM. — Quæres, quis fuerit hic vir et quis adolescens? Hebræi, et ex iis S. Hieronymus, Rabanus, Lyranus, Tostatus, Cajetanus, Lipomannus, Pererius, Delrio, tradunt quod Lamech occidit Cain tributum suum, hæc ratione. Ibat Lamech venatum in silvam, in quam Cain concesserat; vel ambulandi, vel captandi frigoris causa. Comes ergo, vel armiger Lamech advertens strepitum et motum foliorum quem faciebat Cain, indicavit Lamecho ibi latere feram. Lamech jaculatus occidit, non feram, sed Cain. Re deprehensa, Lamech ira astuans in armigerum malum indicem, eum arcu aut fuste contudit; unde ipse paulo post mortuus est. Occidit vero Lamech virum, puta Cain, et adolescentem, puta armigerum suum. Nec obstat vers. 48; ibi enim tantum Deus vetat, ne palam et agnitus Cain occidatur: Lamech autem casu et ignarus occidit Cain.

Hæc tamen traditio Theodoro, Burgensi, Catharino et Oleastro fabulosa videtur: ac merito talis apparebit, si illi addantur circumstantiæ, quas aliqui addunt, veluti quod Cain, non in Henochia sua, sed in silvis versari et latere sit

(1) Vers. 20. Atque pastorum. Hebr. est וְרֹעֵי, qua voce proprie acquisitio, possessio, deinde pecus designatur. Hic elliptice ponitur pro וְרֹעֵי מִקְרָא, pecuoriarum, seu pastorum. Frequens est ellipticis nominibus וְרֹעֵי.

(2) Organum hic videtur esse Asula, tibia.

Caini stirps perit diluvio. Vers. 19. Primus polygamus Lamech fuit homicida.

An Lamech occidit Cainum?

solitus; quod Lamech fuerit caecus aut caecutiens, itaque ierit venatum, atque ob caecitatem deceptus a suo comite, vel armigero confixerit Cain; quod hic comes, vel armiger fuerit Tubalcain, filius Lamech, quem sane nominasset hic Moses et Lamech pater.

Certum ergo est Lamech occidisse virum aliquem, quisquis ille fuerit.

Rursus, licet Theodoretus et Rupertus putent Lamech tantum unum occidisse, qui in Hebraeo carmine et rhythmo dicitur vir, ratione sexus: adolescens vero, ratione aetatis; Hebraei enim in rhythmo, posteriore hemistichio repetunt et explicant prius hemistichium: tamen passim alii docent Lamech occidisse duos: unus enim hic vocatur vir, alter adolescens, et, ut hebraice est, *וְיָדֵד*, id est, puer; puer autem nequit dici vir. Porro perperam vir doctus apud Emmannelem Sa, per interrogationem haec verit, itaque explicat: Cum male, inquit, audivit Lamech, quod duas uxores duxisset, illeque timerent ne ei mali aliquid ea de causa accideret, dixit: Numquid hominem aliquem occidit, ut vita mea timere debeatis? Si Caini occisor graviter puniendus est, quanto magis qui me occidit? Tam enim Hebraea, quam Noster, Septuaginta, Chaldaeus et alii, haec legunt assertive, non interrogative. Perperam et Vatablus conditionate verit hoc modo: si a quopiam etiam viro fortissimo, vel ab adolescente qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem; valeo enim viribus; non est ergo, uxores, quod mihi aut liberis vestris, ob polygamiam timeatis.

IN VULNUS MEUM, ET ADOLESCENTULUM IN LIVOREM MEUM, — puta per vulnus meum, per livorem meum, seu vulnere et livore a me incusso et inflicto, patet ex Hebraeo; *secundo*, alii sic expli- cant, *g. d.* Quo vulnere virum confodi, eodem me cruentavi; et qua plaga decoloravi adolescentulum, illa ipsa atrum meo animo livorem induxi, notam scilicet homicidii ac reatum, cui obnoxius pari vulnere et livore conficiat. Unde Septuaginta vertunt, *virum occidi in vulnus mihi, et adolescentulum in livorem mihi*. Hoc est enim quod Dominus Davidi homicidae intemat: «Urim percussisti gladio, quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.» II Reg. cap. xii. Atque hinc est quod homicidae terrente conscientia, semper sunt pavidi, umbris percelluntur, terrantur; spectres mortuorum snos occi- siores persequentium; et diligenti ad manum. Illustre exemplum habet Sophronius in *Hero Spirit.* cap. cxvii, de latrone, qui conversus has- tusque monachus assidue vidit puerum se insu- tantem, ac dicentem: Cur me occidisti? Tu le- pella venia monasterio egrediens, urbenque in- grediens captus et decollatus est. Ille sensus pro- fundior, sed prior simplicior est.

Lamech
fuit occi-
dit.

Vers. 24.

24. SEPTUPLUM QUOTI DABITUR DE CAIN, DE LAMECH
QUI VERO SEPTUAGIES SEPTIES. — Aethiopia, septuagium

vindicabitur propter Cain, et propter Lamech septuagies septies. Primo, Rupertus per septies temporariam, per septuagies septies aeternam poenam accipit; *secundo*, quia Lamech, teste Josepho, 77 habuit proles, qui omnes perierunt diluvio; *tertio*, S. Hieronymus, et ex eo Nicolaus Papa ad Lotherium, ac Procopius: Cain, inquit, peccatum septies, Lamech septuagies septies vindicatum est: quia peccatum Cain septima generatione in diluvio deletum est: peccatum vero Lamech, et totius generis humani, cuius typus fuit Lamech (qui Hebraice idem significat quod humiliatus, ait Alcuinus), in septuagesima septima, scilicet per Christum deletum est: tot enim sunt generationes ab Adam usque ad Christum, *Luc. iii, vers. 23*. Hinc affinis est versio Chaldaei, quae sic habet, *si in septem generationes vindicta dabitur de Cain, nonne de Lamech in septuaginta septem?* Verum Lamech non habuit tot generationes: ipse enim cum tota sua posteritate diluio perit.

Quarto, Lipomanus, Delrio et alii sic expli- cant: videntur uxores Lamech ipsi improperasse suas caedes, comminando, quod et ipse pariter ab aliis occidendus foret; hinc respondet Lamech: «Quoniam occidi, » id est occidi sana, fateor, virum et adolescentem, mortemque sum meritus: sed tamen si Caini (qui voluntarius fuit parit- da) interfector septuagies septies puniendus, utique mei (qui casualis tantum et involuntarius sum homicida, quique facti sum penitens) interfector septuagies septies, id est longe gravius punietur: ergo enim Cainum inscius occidi; armigerum vero meum castigare tantum volui, non occidere (1).

Verum dico, pro utio dabitur de Cain et Lamech, hebraice קים כין וקין ים תכחמ Cain vel Lamech, id est, vindicabitur et punietur ipse Cain et Lamech: sic enim Noster, Septuaginta et alii hanc phrasin vertunt, *vers. 13*; non ergo hic vindicta intematur caesori Caini et Lamechi, sed ipsi Caino et Lamecho. Lamech ergo ex vehementia doloris

(1) «Ex Hessii sententia Lamech sese iactat propter filios suos, qui artium adeo utilium essent inventores: Cainum progenitorem suum propter eadem non esse poenitum, molto minus se posse puniri, si vel simile scelus commisisset. Verba enim non significant eadem ab eo revera esse patratam, sed sunt verba hominis admodum insolentis et profani. Ceterum apparet, haec verba a Mose ex quodam carmine antiquo inserta esse: tota enim oratio poetica quamdam sublimitatem spirat. Sensus igitur horum duorum versuum hic erit: Si propter viri aut juvenis eadem vulnere, et plagam mihi intemat, cum de Caino ymo septuagies etiam fuerit, in Lamecho id fiet septuagies septies. Harderus, in lib. De Poeseos Hebraicae indole, von Geist der ebraischen Poese, Part. I, p. 344, existimat hoc Lamechi carmen laudes canere gladii a filio inventi, cuius usum et praestantiam contra hostiles aborum insultus his verbis praedicat: Lamecha muliere, audite sermonem meum; percipite dicta mea: Occido jam virum, qui me vulnerabit, juvenem, qui plagam mihi inflicet. Si Cainus septies est ulticentus, in Lamecho id fiet septuagies septies.» Haec Rosenmullerus ad h. l. Cf. Meignan, op. cit., pag. 114

Septua-
gies ap-
plicatio
de La-
mech?
Prima
exposi-
tio.
Secunda.
Tertia.

Quarta.

Quinta
et sexta
na.

et poenitentiae ob admissum homicidium duplex, dicit: Si Cain, qui unum occidit, septuagium, id est multipliciter, graviter et plene punitus est; ergo ego, qui duos occidi, quique poenam Caini vidi, nec tamen ab ejus peccato abstinui, septuagies septies, id est longe gravius et multiplex puniendus sum. Ita S. Chrysostomus et Theodo- retus. Est enim haec phrasin et paremia Hebraeis familiaris, ut dicant septies puniri, pro graviter, plene et multifariam puniri: septuagies vero septies puniri, pro longe gravius et copiosius, ac quasi in immensum puniri. Est enim septenarius numerus multitudinis et universalitatis: septuagie- narius septimus vero est numerus quasi immen- sitatis. Huc respexit Christus *Math. xviii, 22*: «Non dico usque septies, sed usque septuagies septies.»

Secundo, proprie S. Cyrillus: Septuagium, inquit, punietur Cain, quia septem peccata admisit: *primum*, irreligiositatis, dum villora obtulit; *secundum*, impenitentiae; *tertium*, invidiae; *quartum*, quod dolose fratrem in agrum deduxerit; *quintum*, quod eum occiderit; *sextum*, quod Deo mentitus sit, dicens se nescire ubi esset frater; *septimum*, quod putaret se posse fugere et abscondi a Deo, quodque in seculo et invito Deo putaret se posse occidi et mori, itaque vite hujus evadere supplicium. Verum hic sensus subtilior est et mi- nor, quoniam solidior.

Septem
peccata
Caini et
Cyrillo.

Censet
Alcazar
77 idem
esse quod
490.

Vers. 23.

23. VOCANTURQUE, — non Adam, sed Eva, ut patet ex Hebraeo וקין תורה, quod femininum est.

NOMEN EJUS SETH. — Seth idem est quod thesis, sive positio aut fundamentum; radix enim שֵׁטַח suth, significat ponere, locare. Eva ergo, occiso Abel, mox videtur genuisse Seth, eumque ita vocasse, quasi fundamentum suae sobolis et posteritatis, ac consequenter reipublicae aequae ac Ecclesiae civitatisque Dei; hoc enim pro Abel futurus erat Seth, sicut Cain fuit caput et fundamentum civitatis diaboli, qua de re S. Augustinus scripsit *lib. De Civit. Dei*. Addit Suidas, Seth a pietate, sa-

pietia et astrologia cognominatum esse Deum, eo quod ipse inventor fuerit litterarum et astrologiae.

Porro stolidi fuerunt Sethiani haeretici, qui a Seth, filio Adam, se prognatos gloriantur: hi, ait Epiphanius, *haeres. 39*, Seth glorificabant, et ad ipsum omnia, quae virtutis et justitiae sunt, referebant, quin et ipsum esse Jesum Christum asserabant. Seth enim productum esse ex superna matre, quae poenitentiam egit, eo quod produxisset Cain: postea vero cum occisus esset Abel, et Cain abjectus, superno patri congressa sit, et purum semen, puta ipsum Seth, genuerit, a quo deductum est omne genus hominum. Haec haereticorum de more fuere deliria.

26. ENOS — Enos hebraice idem est quod infir- mus, afflicto, erummosus, desperata valetudi- nis, certe morti addictus; videtur ergo Seth prius ita filium vocasse, ut eum ejusque posteros ad- moneret miseram suae sortis et mortalitatis, cui omnes ob peccatum addicti sumus. Sicut ergo Adam vocatur ab adama, quasi homo ab humo, ita vocatur Enos a miseria et mortalitate. E con- trario homo graeco vocatur ἀνθρωπος quasi ἀνθρώπος, id est sursum aspiens; vel, ut ait S. Athanasius, *tract. De Definitionibus*, ἀπὸ τοῦ ἀνω θεωρεῖν τὸν θεόν, id est, ab eo quod vultu superna suspicit. Potest etiam, homo dici Enos, a radice נשׂא nasa, id est oblitus est, ut Enos idem sit quod obliviosus, et vicissim cito oblitus tradendus. Ad hos etymon alludit Psal. viii: «Quid est homo quod memor es ejus?»

Vers. 26.

Enos vo-
catur a
mortal-
tate.

Secund.
ab obli-
vione.

Huc pertinet id quod scribit Josephus, Adam- um praedixisse mundi hominumque interitum, eumque duplicem, unum per diluvium, alterum per incendium et conflagrationem; ideoque posteros Seth pios et sapientes excitasse duas colum- nas, unam lateritiam, alteram lapideam, eiusque sua inventa, artes et disciplinae, vel inscripserit, vel scriptas inclusisse ad posterum instructio- nem, et sui memoriam posteris consignandam: idque hoc consilio, ut, si lateritia diluvio periret, lapidea superstes remaneret, quae, inquit Jose- phus, etiamnum extat in Syria.

ISTE COEPIIT INVOCARE NOMEN DOMINI, — *g. d.* Enos auctor fuit ut passim homines rite Deum colerent. Unde Hebraea habent, *tunc captum est*, scilicet publice et per certus, auctore Enos, *invocari nomi- nem Domini*. Tempora ergo Enos videtur certus hominum institui, et in Ecclesiam congregari coepisse, ad publicas preces, ad publicas concio- nes et catecheses, ad publicum Dei cultum per sacrificia, aliosque ritus et caeremonias.

Addit Thomas Waldensis, et ex eo Bellarminus, *lib. II De Monachis*, cap. v, Enos instituisse pen- siliarem aliquem cultum; et sublimiorem, quam esset religio vulgi: nam ante Enos Abel, Seth et Adam invocaverunt Deum. Unde censent ipsi, Enos instituisse quasi preludium et initium vite Religiosae et Monasticae. Porro Septuaginta ver-

Seth
idem
quod the-
sis, vel
positio.

tunt, *hic speravit invocare nomen Domini*. Hebræum enim חָוֶל *huchal*, non tantum incipere, sed et sperare significat, a radice יָחַל *iachel*; et spes est causa invocationis. Perperam Rabbinii vertunt, tunc profanata est invocatio nominis Domini, quasi tempore Enos cepisset idololatria; licet enim *huchal* a rad. חָוֶל *chöl*, significet profanare, hic tamen non a *chol*, sed a חָוֶל *chälal* descendit, quod in *hiphal* habet חָוֶל *huchel*, significatque cepit, incepit: in *hophal* habet חָוֶל *huchal*, id est cepit, uti vertit Noster, Chaldee, Valabius, Forsterus, Pagninus et alii passim. Non recte quoque Cyrillus, Theodoretus et Suidas vertunt, iste cepit vocari nomine Domini, quasi ipsi Enos, ob insignem pietatem Dei, ejusque liberis, filiorum Dei nomen sit inditum.

Putat D. Thomas II *II part.*, Quæst. XCIV, art. 4, ad 2, in prima mundi ætate non fuisse idololatram, ob recentem creati mundi memoriam. Verum hæc ratio non omnino concludit: nam recens memo-

ria diluvii, et tante vindictæ Dei, non impedivit quin et mox surreperet idololatria. Unde Torriellus et alii putant, etiam tum fuisse idololatram in aliis Adæ familiis: ideoque Enos et opposuisse publicum unius Dei cultum, itaque S. Ecclesiæ visibilem formam instituisse.

DOMINI. — Hebræice est nomen tetragrammaton *Jehova* (1). Unde Irupertus, Cajetanus et alii putant, hoc nomen Adæ et Enos accepisse revelatum, ipsosque per illud Deum invocasse. Sed verius est Mosi primum hoc nomen tetragrammaton fuisse revelatum, ut dicam *Exodi* VI, 3. Moses ergo, qui hæc scripsit, postquam hoc nomen a Deo, *Exodi* VI, accepit, eo passim antèrius, etiam in *Genesi*, Deum compellat, etiamsi Adæ, Enos alique Patriarchæ Deum tunc, non *Jehova*, sed *Elohim*, vel *Adonai* compellarint.

(1) De nomine Dei tetragrammato, seu *Jehovah*, vide quæ doctissime disseruit Drach, op. cit. t. I, p. 319 seq.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Textus genealogia Adæ, per Seth, usque ad Noë, idque primo, ut per eam texatur chronologia mundi, ejusque propagatio lucusque ad nos; hinc fit per Seth: a Seth enim omnes descendimus. Nam ceteri omnes Adæ filii et posterii perierunt in diluvio. Secundo, ut videamus Deum omni tempore suam Ecclesiam, sui cultum et pietatem, in aliquibus conservasse, uti hic conservavit in Seth ejusque posteris. Tertio, ut constet genealogia Christi a Noë ad Adam, de qua Lucas cap. III, vers. 35.

1. Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. 2. Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis: et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. 3. Vixit autem Adam centum triginta annis: et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. 4. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios et filias. 5. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est. 6. Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos. 7. Vixitque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias. 8. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est. 9. Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan. 10. Post ejus ortum vixit et octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias. 11. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est. 12. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel. 13. Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias. 14. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est. 15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared. 16. Et vixit Jared postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, et genuit filios et filias. 17. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est. 18. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Henoch. 19. Et vixit Jared postquam genuit Henoch, octingentis annis, et genuit filios et filias. 20. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. 21. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalem. 22. Et ambu-

lavit Henoch cum Deo: et vixit, postquam genuit Mathusalem, trecentis annis, et genuit filios et filias. 23. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. 24. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. 25. Vixit quoque Mathusalem centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. 26. Et vixit Mathusalem postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. 27. Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est. 28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium: 29. Vocavitque nomen ejus Noë, dicens: «Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.» 30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis, et genuit filios et filias. 31. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, et mortuus est. Noë vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japhet.

Vers. 1. 1. LIBER, — catalogus, enarratio, enumeratio generationum ab Adam ad Noë; hoc enim est heb. סֵפֶר *sepher*, a rad. סָפַר *saphar*, id est numeravit, recensuit. Eodem sensu *Matth.* cap. I, vocatur *liber*, id est catalogus, *generations*, sive genealogie, *Christi*.

AD SIMILITUDINEM DEI, — ad imaginem suam. Sæpe enim Hebræi ponunt antecedens pro relativo.

Vers. 2. 2. VOCAVIT NOMEN EORUM ADAM, — ab hebræo *Adama*, q. d. Vocavit eos *homo* ab *humo*, ex qua creavit eos. Eva ergo etiam est Adam; id est homo. Utrique unum nomen indidit Deus, ut scirent conjuges se quasi unum hominem in duobus esse corporibus, sequè uti nomine, ita et anima ac voluntate adunari debere. Secundo, nomine Adam monentur se esse terræ filios, viles, luteos, fragiles, mortales, et in terram reversuros. Memento, Adam, quia *adama*, id est terra et pulvis es, et in pulverem reverteris.

Vers. 3. 3. GENUIT (filium) AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM SUAM, — puta, sibi per omnia similem, non in peccato originali, uti explicat Calvinus, sed in natura, scilicet in corpore humano, et in anima rationali, in qua Seth, æque ut Adam, erat imago Dei. Vide dicta cap. I, 27.

Vers. 5. 5. ADAM ANNI NONGENTI TRIGINTA, ET MORTUUS EST. — Nota *primo*: Ab Adam usque ad diluvium, per Seth sunt decem generationes, estque hæc prima mundi ætas.

Nota *secundo*: Anni hi fuerunt duodecim mensium, ut sunt nostri, ut patet *Gen.* VIII, 3; nam si fuissent mensuri, uti aliqui volunt, puta si annus unus fuisset tantum unus mensis, continens triginta dies, sequeretur eos qui hic 73 anno generasse leguntur, 73 mense generasse, ac consequenter generasse anno ætatis sue 7; omnes denique defuncti essent ante annum ætatis 83, quem etiam hodie non pauci exsuperant. Ita S. Hieronymus et S. Augustinus, lib. *XV De Civit.* cap. XIII. Patet *Ægypti* præcis annuum fuisse menstruum. Id enim tradit Diodorus Siculus, lib. I; Varro apud Lactantium, lib. II, cap. XIII; Plutarchus in *Numa*; S. Augustinus, lib. *XII De Ci-*

vit. cap. XX, et Proclus, in *Timæum*, lib. I, pag. 33: Αἰγύπτου, αἰτ, τὸν μῆνα ἐκατὸν ἐκάσταν, Ἐγυπτί τοι κάβαν μηνῆσιν ἀννῶν. Verum nil tale de præcis Hebræis reperias.

Tertio, ex Hebræo textu, et ex nostra versione Latina patet, ab Adam usque ad diluvium fluxisse annos 4636. Ita S. Hieronymus, Beda et S. Augustinus supra. Quare in Septuaginta qui numerant annos 2242 (juxta editionem correctam a Cardinale Caraffa) irrepit error; superat enim hic numerus veritatem annis 586. Suspicatur S. Augustinus scilicet quendam mutasse numerum in Septuaginta, eo quod putaret hic accipi debere annos menstruos; insolitum enim et paradoxum videtur, ut homines tunc vixerint 900 solidos annos. Sed quia ille ipse rursus videbat sibi objici posse: si anni fuerunt mensuri, ergo qui centesimo anno dicuntur generasse, generarent anno secundum nos octavo: hinc, ut hoc effugeret, pro 400 posuisse 200 (1).

Quarto, mortuus est Adam anno 57 Lamech, patris Noë, 726 annis ante diluvium, videlicet totius humani generis sui propagationem et corruptionem. Addit S. Irenæus, lib. V, cap. XXXII, Adam mortuum esse feria sexta, die Veneris; quia eodem die creatus est, et peccavit Adam. Dixerat autem ei Deus: «In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.» ergo mortuus est die Veneris, quo et peccavit. Verum illa com-

(1) «Alexandrini Interpretes in annorum numero partim consentiunt cum Hebræis codicibus, partim ab his dissentiunt. Consentient, si attendas annos vitæ; dissentiant in eo, quod aliter eos dividant. Sumunt enim neminem procreare sobolem potuisse ante centesimum et quinquagesimum annum. Hinc, cum Hebræi tribuant Adamo ante Sethum genitum annos 130, post genitum 800, Græci ante Sethum ponunt 230, postea tantum 700. Prodeunt anni vitæ æquales 830. Itidem Hebræi assignant Setho ante genitum Enoch annos 105, Græci 205. Contra sentit Samaritanus, neminem post centesimum quinquagesimum annum patrem fieri potuisse, atque ad hæc rationem annos, quos patres vixisse dicuntur, dividit.» Ita Rosenmüllerus, Cf. Meignan, op. cit. p. 439; Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, Disc. 4.

Ab Adam ad diluvium sunt anni 4636.